

## XX PETRI BEMBI

eruditissimis; tum vero praecipue a Reginaldo Polo, homine, dei immortalis, dubio procul, beneficio, ex ultima usque Britannia ad nos vecto, vel de caelo potius, si modo dictu fas est, lapsi; cuius de laudibus, quamquam de tam praeclara ac plane divina virtute nemo satis digne umquam loquetur, alias mihi profecto dicendi locus dabitur. hoc certe haud facile in praesentia dijudicare audeam; plus ne eam insulam, multis vulneribus Christianae reipublicae per summam inpietatem infligendis, nocuisse dicam; an, quod in illo solo talis, tantusque vir ortus & procreatus sit, unde vere, planeque Christianae pietatis, vitaeque exemplum peteremus, profuisse. Is igitur cum Bembo familiarissime vixit; cumque senis optimi multas, magnasque animi dotes maximi fecit; tum vero apertum, simplexque hominis ingenium, suae ipsius voluntati atque naturae consimile ac par, plurimum semper adamavit. Sed, cum diligentissime Bembus coleretur a multis, summo etiam a Paulo honore afficiebatur; tantaque apud eum fuisse gratia dicitur, ut nullam umquam rem ab eo postularit, quin perficerit atque abstulerit: sed enim hoc non solum auctoritatis, gratiaeque fuit, sed etiam moderationis & pudoris. Tum ea erat Bembi, in dicenda sententia, libertas, ea simplicitas, eaque in omni vita clementia atque ingenuitas inerat, ut, si ante eum Paulus mortem obiisset, quod natura postulare videbatur, aliquot enim annos illum Paulus antecessit aetate, creatum iri eum Pontificem Maximum plerique comptum haberent. Sed, cum equo Bembus forte veheretur, paulum in ostio ad parietem latus offendit; qua ex plaga, homo senex ac debilis, in febriculam incidit; atque ex ea, cum sensim extenuari, conficique se intelligeret, cumque mortem multos dies quasi praefolatus esset, animo non modo forti, sed etiam aequo; ut de sua illa migratione cum amicis interdum etiam jocaretur; (a) diem suum pie, sancteque obiit. Cultus erat jampridem omni officio Bembus ab Hieronymo Quirino Ismerii filio; homine partim genere ac nobilitate, partim fide, munificentia, humanitate, morum suavitate, ac dulcedine, clarissimo. (b) Is illi statuam mortuo posuit nobili artificio factam ex marmore, atque eam celeberrima Antonii in aede Patavii locavit; inscripsitque in basi in hanc ferententiam: propterea a se illam statuam Bembo statutam, atque in publico positam esse, ut cuius animi simulacra orbis terrarum cerneret, ejus ne corporis quidem desideraret imaginem. Fuit omnino perpolitum Bembi ingenium, perque acre; maximeque perspicax, acutumque judicium; plurima

---

(a) diem suum pie sancteque obiit) E vita cessit XV. kal. februar. M. D. XXXXVII. cum annos vixisset LXXVI. menses VII. dies XXVIII. Id testatur epitaphium quod in aede S. Mariae super Minervam parentis sepulcro inscribendum curavit ejus filius Torquatus Bembus.

PETRO. BEMBO. PATRITIO  
 VENETO. OB. EIVS. SINGVLARES  
 VIRTVTES. A. PAVLO. III. PON. MAX.  
 IN. SACRVM. COLLEGIVM. COOPTATO  
 TORQVATVS. BEMBV. P  
 OBIIT. XV. KAL. FEB. CI<sup>o</sup>. D. XLVII.  
 VIX. AN. LXXVI. MEN. VII. D. XXVIII

Situs vero est Petrus post aram maximam, inter Leonis X. & Clementis VII. Pontificum tumulos, a quibus prima & praecipua acceperat suae fortunae incrementa.

(b) Is illi statuam, &c.) Inscriptionem statuae subjectam habebis lector ad calcem ejus Vitae, quam a Beccatello descriptam tibi damus. Inscriptioni accederet ejusdem statuae iconismus, Danesi Catanei, sculptoris celeberrimi opus, quo amicissimi viri memoriam Hieronymus voluit, immortalitati commendatam.

(a) sum